

Reip. aut civitatis nihil interfit, ita ex hoc ipso jam prima exoritur exceptio, ut tunc mutatio domicilii illicita fiat, quando illa conjuncta est cum Reip. aut civitatis insigni detrimento, utpote si quis intempestive, malitiose & in fraudem reliquorum concivium juribus civitatis renunciare, & tempore ingruentis belli, metuendæ obfidionis, aut aliarum calamitatum discedere velit. Cum enim vis unita fortior, in detrimentum utique, imo interneccionem civitatis fieret, si aliqua ejus membra eam deserere, atque adeo vim ac robur ejus imminuere velent. Et cum Cives quandam quasi societatem inter se contraxerint, utique non pendet ab unius vel alterius arbitrio in præjudicium sociorum e civitate discedere, cum societas servari debeat, nec dirimi possit, nisi eo tempore, cum societatis non interest, eam manere salvam: quia magis quod universæ societati, quam quod uni ex sociis expedit, attendi debet. *l. 65. §. 5. ff. pro soc.* Imo nonne iniquitatis gradus foret maximus, pro vita, quam ipsi dedit civitas, eam ruinæ, pro divitiis paupertati, pro tutela & securitate huc usque præstita hostium direptioni consecrare, & pro quibusvis & innumeris commodis omnis generis mala afferre velle? Hinc pro ejusmodi commodis ante perceptis onera & pericula civitatis calamitatum tempore sustinenda esse, nec tunc domicilium mutari posse, æquitati omnino convenit, quemadmodum & Grotius *d. Jur. Bell. & Pac. l. 2. c. 5. §. 24.* id regulam æquitatis naturalis appellat; conf. Fritsch. *Exerc. Jur. publ. vol. 2. diff. 4. §. 56. sqq.* Manz. *dec. Palat. qu. 18. n. 21.* Mev. *ad Jus Lub. l. 1. tit. 2. art. 2. n. 71.* quod detrimentum eo clarius apparet, si cives gregatim & magno numero

do-